Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2467
Quelle:
Copyright:

eod. *Cod.* à *Franc. Baertio* descripta extant adjecta crisi in *Act. SS.* T. *I. Jul.* ad diem IX. p. 676.

III. *fol.* 16. *Tractatus de esu carnium monachorum doctoris eximij* (Joh. de Polemar seu) *palomar dicti.* Praeit *Scala* quaedam brevis ascetica hoc rubro: *Sequentem scalam tradidit dominus egregius Dominus Johannes dictus palomar, Auditor causarum* (Palatii Apost.) *doctor vtriusque iuris. qui per suam sapientiam et auxilium dei vicit in Concilio Basilienſi bussitas et bytleuisstas et in medlico* (Coenobio Mellicensi O. S. B.) *habentur ejus dicta contra istos hereticos peruersos. Etiam composuit tractatum vnum de esu carnium contra carnales et inpudicos Monachos.* Et eccum! Praeit Epistola inscripta: *Amantissimo patri dompno Johanni Abbati Monasterij Sancte Mariae ordinis Sancti Benedicti Wienne scotorum vulgariter nuncupati. Johannes dictus Palomar velut unus ex Monachis vestris* &c. Post laudes Abbatis, amicitiaeque significationem ait a multis se interpellatum, ut de hac materia scriberet, metu contentionum nunquam adquiescisse, concluditque: *Habeat paternitas Vestra, quod expetijt, meum breuibus uerbis intentum, communicet filijs, communicet etiam si uelit gratis amicis, bijs uero, de quibus existimet, quod non in eis pruritum disputationis exagitet, sed eos in proposito salubriori confirmet.* Tractationem porro sic ingreditur: *Surgent in iudicio filii Rechab homines ex illo carnali populo sub umbra legis viuente — Surgent aduersus filios Sanctissimi Benedicti* &c. eamque non vulgari Canonum et Constitutionum Monasticarum cognitione pertexit. Finis est: *ad prolixitatem nimiam iste tractatulus perueniret.* Et rubro adjectum: *Compositus est tractatus iste per egregium doctorem in Iure Johannem Palomar contra esum carnium monachorum sanorum.* Novit illum *Trithemius Scriptt. Eccl. n.* 741. atque ex eo, ut puto, citant alii; vix enim typi beneficio in plurium manus venit. Abbas, ad quem scriptus est, videtur ex *Joh. Raschii* Indiculo vernaculo *Johannes ab Oxenhausen*, qui a 1446. diem clausit.

IV. *fol.* 30. *Tractatus de reformatione status Cenobitici, Johannis*, ut e calce praeoccupo, *Nider* celebris e Praedicatorum Sodalitio medio Sec. XV. in germania theologi. Initium: *Rogatus sum a te pater mi. qui reformacionis officio in tuo collapso ordine insistis pro uiribus* &c. Abbas iste fortassis idem *Joh. Ochsenhusanus* mox memoratus fuit, qui *Nidero* in Concilio *Basileensi* innotuerit. Tempus scriptionis ex his Prologi verbis desumi potest: *Quamuis autem modo ut tua nouit pietas constitutus in itinere vna cum alijs sacri generalis concilij ambasiatoribus ad maiestatem transmissis cesaream, sim circa eandem plerumque in fidei occupatus negociis* &c. Missio enim haec in exitum anni 1431. incidit. opus ipsum in *Partes* III. tributum, quarum I. *lapsum religiosorum aperit*, II. *curam reformandi tradit*, III. *fructus reformacionis*